

rem seu viduum succedebant matri, propter communionem bonorum, quae inter coniuges obtinebat. Qua in re ius Ebraicum rationi naturali iurique Germanico veteri, praesertim Lubecensi, conuenit.

§. XVII. Haecenus quoque ius Ebraeorum a ratione naturali abluat, quatenus in successione descendentium non sexus solum sed bonorum etiam diuersa ratio initur. Item ius primogeniturae inter filios, quodque idem inter filias non obtinuit, nec non differentia liberorum integrorum aut non integrorum corpore, ad ciuilia pertinet instituta.

§. XVIII. Aequitati non aduersatur naturali, ius repraesentationis, etiam in successione descendentium, non obseruari. Taxatur Domat.

§. XIX. Prudentia tamen suadet, in successione ab intestato descendentibus primum locum una cum iure repraesentationis lege lata relinqui.

§. XX. Iure Romano veteri iuxta et nouo in successione descendentium ius repraesentationis obtinet.

§. XXI. Secus dicendum iure Germanico, quo ne in descendentium quidem successione repraesentationi semper fuit locus. Quae tamen legibus imperii vniuersalibus et singularibus est introducta.

§. XXII. Quatenus repraesentatio in successione collateralium iure Romano obtineat?

§. XXIII. Iure vero Germanico prisco nullatenus in successione collateralium repraesentationi locus est.

§. XXIV. Vnde nec recentius ius Saxonicum repraesentationem in successione collateralium admittit.

§. XXV.